



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Scintillæ Ignatianæ, Sive Sancti Ignatii De Loyola, Societatis Jesu Fundatoris Apophthegmata Sacra

Hevenesi, Gábor

Coloniæ, 1715

VD18 10988289

23. Augusti. Cum sæcularibus præstat manè de rebus ad salutem pertinentibus, profana post meridiem tractare. S. Ignat. ap. Ribad.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50423)

tur; qui duris assuescunt, constantius du-
rant; emollit artus indulgentia. Quot vi-
tia, tot corporum sunt carnifices; quot
virtutes, tot vitæ sunt custodes. Vis esse
longævus? virtuti stude.

23. Augusti.

*Cum secularibus prestat manè de rebus ad
salutem pertinentibus, profana post me-
ridiem tractare. S. Ignat. ap. Ribad.*

Aurora non Musis tantum, sed & spi-
ritualibus amica, aurea hora, specie-
bus non distracta, non implexa negotiis,
& admittit facilius, & retinet doctrinam
tenacius. Prima primis jure tribuuntur.

Facilius manè contra naturam pugnatur,
cum sola agendum est voluntate; post me-
ridiem multiplicantur hostes, Bacchus &
Ceres vitia evocant, acedia & concupis-
centia classicum intonant. Quis Hercu-
les contra tot?

Quanta matutinum inter, & pomeri-
dianum tempus hominis mutatio! manè
agnus, meridie leo; manè pietatem, nunc
totus martem spirat; scilicet passionibus
robur à cibo venit, recalcitrat asinus opi-
mè saginatus.

Præ:

Præparandus manè est animus, & contra tela omnia muniendus; ne quæ post subsequum diem pestis afflet, præservativa impediatur medicina. Si manè disponas aciem, non est, quod hostem timeas,

24. Augusti.

Propter aliquem abusum, nihil, quod esse malum non sit, est abolendum; alias magnis divina gloriæ incrementis via præcluderetur. S. Ign. ap. Gonzal. de Cam. in M. S.

Nihil tam sanctum, quo malus male uti non possit, vel casu, vel vitio; ut nec flos ullus tam innocens, ex quo araneus non sugat venenum; nec floris tamen araneus, nec rei pretium abusus tollit.

Innocuæ sunt creaturæ, quas reatus incusamus; non illæ, sed sequior earum usus nos in delicta præcipitat. Et vinum bonum est, & gladius, licet hoc in alienam, illo tuam in perniciem abuti possis.

Si mali omnis occasionem tolli quis velit, tollenda erunt omnia, cum omnibus partem in utramque uti, vel abuti possimus. Quid divinis litteris magis sacrum? & quot ex illis malè intellectis natæ sunt hæreses?

Ni